

40.

AUXILIANTE DEI CLEMENTIA
DISSERTATIO PHYSICA
FRIDERICIANA
SYSTEMATIS
COELI ET TERRÆ
LEGEM ADRASTEAM

id est

MECHANISMUM,
exhibens

quam

SUB-PRÆSIDIO

JOHANNIS LVDOVICI
HANNEMANNI

MEDIC. DOCT. & PHILOSOPHIÆ NAT.
PROF. P. ORDIN. LEOPOLDINÆ SOCIETATIS
COLLEGÆ NESTORIS II.

Defendet

M. FRIDERICUS FINCCIUS,

ZittaviaLufatus

Anno DCCX. XVIII. Mense Januario.

Astron.

558,7ⁿ

K I L O N I,

Literis Bartholdi Reuteri Academ Typogr.

Met. Phys. XXIII. 6. 57

EXCELLENTISSIMO æque ac CELEBERRIMO
DOMINO PRÆSIDI

Fautori suo maximè suspiciendo

S. P. D.

PETRUS ZORN, *Hamburgenfis.*



Um S. Patres in fidei nostræ vindictis ador-
nandis omnes suas curas defigunt; 1) Philo-
sophos imprimis Physicos incessunt eosdemq;
tanquam fratres Cadmeos non sine multâ
invidia committunt. Omne punctum ferunt
Hermias Philosophus Christianus *ἡ διασφρα-
μῶ τῶν ἔξω φιλοσόφων ἔ* autor τῶν φιλοσοφημένων, quæ Oria-
geni vulgo adscribuntur. Proximus ab his Anonymus qui-
dam qui veterum Philosophorum lites de anima singulari
libro complectitur 2) cum Stobæo in Eclogis Physicis ean-
dem viam ingressus. Ante S. Patres D. Paulus sugillat Phy-
sicos 3) si iudicio Grotii, Hammondi, Drusii, ἔ Altingii
4) stare velis. Nempè maluit Paulus συζητητῆς conquisitor
quam ἐκζητητῆς exquisitor dicere, quia Physicæ quæstiones
multis disputationibus ventilari solebant: quod est συζητῆν
disquirere. Equidem non sum nescius, multos ex erudito-
rum numero studio Syncretismi cuiusdam philosophici lites
componere conatos esse; 5) sed profecto literis ἔ otio abu-
tentes, similes sunt caneros edentibus, qui propter exiguum
cibum circa plurima ossa occupantur 6) vel prestigiatoribus
comparandi qui acetabulis suis ἔ calculis spectantium ocu-
los quasi fascinare videntur. 7) Summatim dicam: legi isti-
usmodi

- 1) De Apologiis Veterum Patrum extant erudite dissertationes Dn Rechen-
bergii ἔ Miegii Theol. Heidelberg. 2) hunc cum Origenis Philocalia Græce
ἔ Latine Parisiis edidit Joh. Tarinus. 3) 1. Cor. I, 20. 4) in Oratione de
Academiis Hebræorum. 5) post Jacobum Thomasiū de hoc Syncreti-
simo fusius agunt Observatores Hallenses. 6) simile iudicium Aristonis a-
pud Rolandum Mareium in epistolis p. 42. 7) Ita Arcesilaus apud
eundem Mareium p. 44.

usmodi libros & quidem sepius, sed nescio, quomodo dum lego, assentior, cum posui libros, & mecum ipse de nervis argumentorum cæpi cogitare, assensio omnis elabatur. Idem baud latuit Timonem σιλλέγραφον cum multis cavillis Philosophos perstringit.

Ποίων inquit ἐκ τ' ἐρίδων καὶ λεχθόμαχων πεπλάνηθε;

Quæ vos vaniloquo fallunt certamine lites?

Et alibi:

Φοιτᾶ δὲ βροτολογὸς ἔρις κενεὸν λελακῦια

Νείκης ἀνδροφόνου κασιγνήτη καὶ ἔριδος

Asteralis quædam provenit inania clamans,

Incensi in cædes odii soror atque ministra.

Nec longius abeunt Plutarchus in libro περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, & Lucianus in Dialogo, in quo Philosophos omnes non sine sale & facetiis bastæ subjicit. Cæterum operæ pretium est tanti dissensus veram assignare causam. Nempe præterquam quod geniis suis plus æquo indulgent, dicti ideo Timoni

Κενεῆς οἰήσιος ἐμπλεσι ὠσκόις

Vanis inflati fastibus utres;


Scripturæ etiam S. autoritatem in naturæ rebus pensitandis susq; deque habebant, cum tamen tanti sint ejus secessus, ut nos ad summa etiam naturæ arcana via quasi compendiarîa ducant 8) Hinc S. Patres explosis Philosophis veritatem Christianam non edoctis, Christianos solos Philosophos 9) & λογικὸς sive τὰς ἀπὸ τῆς λόγου appellarunt. 10) Æquas S. Patres Vir Excellentissime, & monumentis, quæ non pulveri sed posteritatî tradis, veram Christianæ Philosophiæ imaginem exprimis, contra quam visum est hodiernis Empæctis; quippe qui S. Codi-

8) Judæi libro cuidam, ob vastam quam complectitur eruditionem, nomen כִּלְכִּיל præsunt. Melius omnia quadrant in S. Scripturam omnis divinæ & humanæ scientiæ thesaurum. 9) Clementis Alex. Justinî M. & aliorum loca diligenter collegit Petavius in Prolegom. ad opera Dogm. 10) Insignem Origenis locum hanc in rem adduxi in Vindiciis Patrum contra Dallæum p. 390

*cem ad ingenii sui modulum exigendo, multa tanquam præpo-
 stere præpropereque dicta in eodem carpunt, certissimo verita-
 tis detrimento. Nihil auribus Tuis do, si Te, quem fama non in-
 ficianda collaudat, vindicem imo Statorem Philosophiæ Chris-
 tianæ dixerim. Laus hæc Tibi propria est, & in tantum am-
 plificanda, in quantum vasta Tua eruditio cognosci potest. Si
 secus visum sit invidiæ morositatis hominibus, caveant, ne in eo-
 rum sint numero, quos nuper scriptor Gallus 11) pungit perinde
 ac cruentat. Nullos nempe esse avariores in tribuendis laudi-
 bus, quam eos, qui vix mediocribus ipsi meritis ac virtutibus
 præstant. In partem certè gloriæ Tuæ venit, qui curam omnem
 adhibet, ne quod innuit Horatius, ingenii culpa amplissimas Tu-
 as laudes deterat. Id quod cum subvereor, satius esse duxerim
 Te publicè nominasse, præsertim cum inter eruditos constet, Te
 decus nostri ævi, exemplum futuri esse. Multum itidem laudis
 derivatur in Clarissimum & doctissimum Dn. M. FRIDERI-
 CUM FINCCIUM, qui sub Tuis auspiciis in lucem eruditorum
 prodit eo majori laude cobonestandus, quod laudes minimè ambi-
 tas excitavit, voluitq; his potius dignus videri quam uti. Ex ni-
 mia humanitate & in amicos benignitate se lapsus Lipsius fa-
 tetur. Quid vero de J. Aurato dicam versificatore quam Poëta
 meliore? Ille ex publico conductus erat, ut sua ætate quotquot
 prodirent opera, qualiacunq; essent, versibus præfixis commen-
 daret. 12) Neq; vero is sum, qui temerè & effuse laudet, agrè
 tamen ferrem, si jaçtator meæ, nimium parcus aliene virtutis
 laudator essem. 13) Voto finienda est Epistola, ut ætatem quam
 tam bellè fers, Deus Tibi adhuc in longum tempus proroget.
 Inprimis benevertant Kalendæ Januariæ, quæ propediem Te
 expectant.*

- 11) L' Abbe de Bellegarde reflex. sur la politesse des mœurs p. 71. Conf.
 Dn. Fabricium de laudibus malignis p. 11. 12) Videfis Maresii Epist. p.
 241. 13) Epictetus autor luculentus extitit ne quis temerè & effuse
 laudaret.

PRÆ-



PRÆFATIO.



*Uper admodum incidi in dissertationem
Alberti Graweri SS Theol. D. & quondam Ma-
gni nostræ Ecclesiæ Theologi, in cuius dissertationis
titulo hæc leguntur :*

Non omnia omnibus, non omnes
Omnibus, nec omnis mihi.
Et qui nam ego omnibus?
Non tu quoque lector omnibus.
Paucis bonis, uni DEO curo placere!
Est sat!

*Idem ex hoc Magno Theologo repeto, & mihi lectorique bene volo
dictum volo. Si quidem cognitum, quod nullum scriptum etiamsi
ab Eruditissimis edatur, vel edi queat, quod non Zoili putida
sua saliva conspurcent, in quod non atros suos dentes infia-
gant; si aliud non inveniunt, nodum in scirpo quærunt,
errores Typographorum vitio vertunt & imputant, & ob hæc levia
famam denigrare student. Verum hæc nubila transeant! post
hæc Phæbus veritatis elucebit!*

*Dissertatio, quam cum erudito orbe communico, inscribitur
de Mechanismo. Mechanismus, utut hac nostra quidem
etate in omnium Philosophorum ore & calamo frequentissimè au-
diatur adeo ut pro cathedra nil ferè frequentius sonet : Tamen
ejus formalis ratio à paucis imò à nullo ita demonstrata est ut
non formidine oppositi laboret. Tum etiam extra legitimum
suum usum extendunt, sicque quidam Medici morborum ge-
nesin*

A

nesin

nesin, functionum oeconomiae humani corporis abditos recessus, medicamentorum operationes juxta mechanisimi normam explicare nituntur, quorum conatus licet non improbaremus, si non precario petitis principiis superstruerent sua effata, & non jejune Mechanismo quadrarent, quae proferrunt.

Mechanismus si rectè explicetur, nil sinistri vel absurdi significat, sed promum condum oeconomiae naturae quasi manifestat, ita ut non sit nudus terminus, sed vera & realis substantia vel Spiritus, quem Deus ut vim motricem mundo indidit. Peccari autem hic à multis in excessu, à multis in defectu, negari non potest. In excessu peccant, qui DEI denegato concursu ejusque providentia susque deque habita, omnia naturae contingentia coeco impetu idolo cuidam Mechanisimi adscribant. Quo putido ovo infelix pullus Naturalismi, Spinosismi, qui reapse nihil aliud est, quam Epicureismus verusque Atheismus exclusus est. Hi nimium Mechanismo (DEO neglecto) tribuentes, similes sunt Apostatis & idololatriis Judæis, qui Melecheth caeli (de quo Jerem. VII. 18. XLIV. 17. Deut. XXII. 5. Ose. II. 5.) colebant, placentas, libamina, igne incenso, passim in plateis urbium Regni Juda & ipsius Hierosolymae: idque eo fine, ut impetrarent pacem, annonaeque copiam ac felicia tempora, ita horum, inquam, impietatem hi Spinositæ sequuntur, digni quoque sunt poena, quam Deus Apostatis, & idololatriis minatur. Contra hunc abusum Mechanisimi, vel potius naturae Baalis idolum multi eruditissimi Philosophi quam Theologi acriter insurrexerunt, & ut porro insurgant, optandum est: cum primis contra illos virulentos Empæctas, qui scripturae Sacrae miracula ad insanam insanæ rationis deempedam metiri allaborant. Contra quorum conatus Deum suae providentiae Vindicem meritò imploramus.

Quidam in defectu peccant, qui Mechanismum vel nullum vel adeo viribus defitutum admittunt, ut nihil queat, ipsisque Mechanismus nihil aliud sit, quam inane vocabulum vel vanus quidam terminus technicus, quemque Philosophi ex cerebro suo commenti sunt: Hincque cuncta contingentia naturalia in
mundi

mundi theatro cause universali primæ, causas secundas negantes tribuunt.

Utrumque scopulum scyllam & charybdim in hac Dissertatione evitaremus, dedimus operam, & talem Mechanismum doceamus, qualem nos docent spiritus sancti sanctissima eloquia, sicque Mechanismum Scripturæ S. conformem traderemus, nobis cordi fuit.

Mechanismus autem non novi quid est, aut nudius tertius demum natus: est idem, quod ante hac Plato ejusque discipuli Mundi animam appellarunt; Hippocrates calidum omniscium; Helmontius Mundi Archæum; Aristoteles intelligentias; Avicenna Calcotheam; Scaliger virtutem plasticam; Henricus Morus Principium Hylarchicum dicunt &c. Alii malunt naturam insignire.

De hoc Mechanismo hanc damus dissertationem quam autem sic conscripsimus, ut nulli præter Scripturæ S. dictamen quicquam debeamus; & non ex traduce more seculi Philosophati sumus. Nostra hæc dissertatio meris assertionibus gaudet, elenctica, polemica controversiasque studio omisimus, neque etiam variorum Autorum de hoc objecto commentis locum concessimus.

Hanc dissertationem meo rogatu in se defendendam suscepit Nobilissimus & Clarissimus Dn. FRIDERICVS FINCCIUS Philosophiæ Doctor meritissimus, Zittaviâ-Lusatæ. De quo Respondente mihi tanto magis gratulor, ut qui olim Academiae Wittebergensis alumnus stipendii Electoralis fuit, ac nomen suum publice profitetur, inter eos, qui idoiium illud Asthorothi Fanaticismi felici conatu destruere aggressi sunt, in sua Anti-Fanatica dissertatione de Mediorum salutis exhibitivorum efficacia & necessitate sub presidio Magni Theologi Joh. Deutschmanni habita & proprio Marte conscripta. Quo laudabili nisu etiam sub Magno Theologo Neumanno, (non ita pridem magno Ecclesiæ damno in sedem beatorum translato) in Organi Dei & redivivi Pauli Lutheri cathedra Aphorismos Lyseri Apostolicos examini disputatorio una cum aliis, Com-

*militationibus submisit quique etiam sui studii Brabeon nactus est
 1692. Festo Michaelis, honore Philosophiæ Doctoris mactatus,
 à Dn. D. Falkio tum temporis Decano. Hujus Dn. Magistri me-
 ritis insigne pondus estimationis addit quod Wittenbergæ operam
 studiis navarit, in quâ Academia est Cathedra Lutheri, in
 qua Academia lux Evangelii, quæ Papales Cimmeras
 tenebras discussit, impudicitiam Thaidis Romanæ offen-
 dit, exorta est; in qua pius Zelus pro puritate Religionis
 fervet, in qua sunt strenuissimi Veritatis Vindices, in qua
 est ipsum omnigenæ eruditionis Theologicæ & Polyma-
 thiæ Palladium! Felix itaque cui tam inclyta Academia tam
 excellentes honores contulit, ejusque merita digno proemio co-
 honestavit. Bono ergo esto animo, Maeste virtute Vir, tandem
 bona causa triumphabit, ac Deus Promotores qui erunt sin-
 ceri Bonorum Virorum aestimatores, excitabit, qui tuas fere
 naufragio fortunæ sinistrae concussas rates resarcient, ac in opta-
 tum portum deducent, id est, quod animitus opto, ut spartam
 tuis meritis dignam, quâ Ecclesiæ, quâ Reipublicæ quaque scho-
 læ usui esse queas, Deus largiatur. Quo voto claudo, & me
 ad te, Lector Benevole! converto, cui hac pauca dicta volo:
 tibi si placeat labor noster, agimus gratias; sin displiceat, nobis
 pari passu ambulat. Nobis hac vice placet hoc symbolum: Nul-
 li cedimus, Nulli palmam porrigimus, nisi meliora nos
 docenti, vel nos errantes in viam modeste reducenti.
 In arduis enim voluisse sat est. Signatum Kiliae, d. XXVIII.
 Novembr. 24, hora decima mane.*

THE-

THESIS I.

Mechanismus est rebus à DEO conditis inditus Spiritus vel vis motrix in Motu, temporis successione, caloris & frigoris vicissitudine, perennitate generationis & palingenesiæ, in numero pondere & mensura consistens, ac per naturam immutabiliter perpetuoque agens.

*Mechanismo
sui definitio.*

Exegetis:

§. I.



Quod si totum Cæli & Terræ Systemma magis mentis nostræ oculis quam corporis consideramus, tunc etiam quocunque oculos mentis & corporis convertimus, radii pulcherrimi ordinis Mechanici eorum aciem ita perstringunt, ut tam mentis quam corporis oculi ad

*Mechanismo
sui existentia.*

hunc splendorem caligine quadam perfundantur. Licet DEI concursus cum causis secundis suspensus minimè velimus, quem DEUS sibi tribuit etiam in minima, adeoque ut ne pilus a capite, nec passerulus citra ejus nutum in terram dilabi queat: Hoc non obstante, credimus talem *Mechanismum* à DEO in suo opificio esse conditum ac constitutum, ut quemadmodum in *horologio perpendiculum rotas* versat, circumgyrat ac indicem ad indicandam horam movet: Eodem modo est in hoc universo aliquod primum movens institutum, cujus beneficio motus, cujus impetu successio temporis dirigitur, caloris frigorisque vicissitudo alternatur, generationis corruptionis palingenesiæ vires perdurant juxta numeri ponderis & mensuræ legem in naturâ fatalem.

A 3

§. II.

Mechanismi proprietates.

§. II. *Hic autem Mechanismus*, quem DEUS in mundi opificio creavit, licet omnino perfectus sit, talique perfectione gaudeat, qualis Creatura particeps vel capax fieri potest: qualis perfectio de ente in suo esse, in suo fieri & in suo operari à potiori dependente prædicari potest: talis & non major perfectio Mechanismo tribuenda venit. Hinc Mechanismus est (1) perfectus, (2) dependens, (3) expers omnis erroris (4) immutabilis (5) finem suum semper assequitur (6) vim à nullo nisi à concursu altissimi Numinis pati potest, (7) si DEUS non contrarium quid decernat, statu, quo factus, in æternum durare potest citra senectutem, citra virium languorem (8) modo quodam dependenti est infinitæ virtutis (9) Mechanismus duos habet Spiritus architectonicos, per quos inferiorum corporum generationem, corruptionem, palingenesiam in perennitate conservat (11) quæ omnia Mechanismi opera decreto DEI numeri ponderis & mensuræ adstricta sunt (12) hinc & plenitudini Magneticæ studet,

THESIS. II.

Mechanismus est bonus & suo modo perfectus.

Exegetis.

§. I.

Mechanismi bonitas.

Quoniam Mechanismus aliter a nobis considerari non debet vel potest, quam quod sit Creatura, & per consequens etiam pertineat ad illam Creaturarum classem, quas Summus JEHOVA sextiduo Creationis omnipotenti suo verbo creavit. Hinc etiam est bona Creatura. DEUS etenim in cujuslibet diei operum fine opera illa, quæ isto die creavit, valde bona vocat id est, juxta Latinæ Linguae indolem, optima. Bonitas illa simul & perfectionem infert. Nihil enim bonum, nisi quod juxta omnes suas partes absolutum & per-

perfectum est. Quo itaque jure Mechanismus salutatur bonus, eodem jure tituloque salutatur suo modo perfectus. Bonitas autem, qua Deus suas donavit Creaturas nobis triplex videtur. (1) est bonitas essentialis, qua illa essentia, qua Creatura est prædita, sit bona, sit elegans, sit pulchra. (2) bonitas sui boni communicativa, dotes enim suas, quas DEUS ei largitus est, non sibi soli servat vel servare potest, sed cum aliis creaturis juxta illarum exigentiam communicat. (3) est bonitas completiva i. e. numerica, qua facit ad complementum consummationemque totius universi. Hinc ejus bonitas a mundi perfectione abesse non potest. Mundus vel totum universum perfectum salutari non posset, nisi ejus entis bonitas esset tali statu, ut ad integritatem faceret. Sicque Mechanismi bonitas eodem modo triplex est, & quidem sensu quo diximus. Quod itaque Mechanismo triplex bonitas tribuenda sit, hinc evidens est, sicque Mechanismus bonitatem habet (1) essentialem & (2) communicativam: hanc bonitatem ex instituto DEI per Universum totiusque universi oeconomiae partes particulasque imo & atomos juxta rerum indigentiam ita diffundit, ut cuilibet corpori hoc ipsum impertiatur, quod indoles ejus juxta numeri ponderis & mensurae legem poscit. Quod & denique (3) bonitatem completivam habeat, credimus. Nam nisi Deus omnipotenti suae benedictionis verbo: Crescite & multiplicamini & replete terram & aquas, alloquendo vim contulisset proferendi animalia; Mundus tunc perennitate rerum destitueretur. Hæc autem vis residet vel quasi commissa est Mechanismo, vel ut rectius dicamus: ipse Mechanismus est vis plastica, & hæc est ille Spiritus, cujus mentio fit Ps. 104. de quo suo loco prolixius agemus. Sublato hoc Mechanismo e rerum Universalitate, tota rerum universitas manca & mutila foret, mundus minime mundus, mundus minime perfectus, mundus minime bonus. Bonitas illa communicativa
nunquam

bonitas triplex.

nunquam in Mechanismo otiosa, sed efficacia sua diffusissima totum universum, concurrente DEO conservat opificium hoc DEI complet, consummat. Quod dictum de triplici bonitate Mechanismi, eodem modo Mechanismo est triplex perfectio. Triplicis istius bonitatis perfectionisque vestigia & specimina in cujuscunque corporis machina ac generatione videmus. Et Mechanismus cit movetque prout opus est motu.

THESIS III.

Mechanismus est dependens quid.

Exegetis.

§. I.

Mechanismi dependens.

Merito Mechanismi existentiam retulimus ad existentiam universalem, qua omnes res in principio extiterunt, utique Mechanismus non habet, ut a semet ipso existat, sicque aliquando non fuit, neque etiam prius extitit, quam istæ res extiterunt, quarum debebat esse Mechanismus harmonia & ordo. Ex hoc principio etiam ei *dependentiam* attribuimus, quatenus illa relationem alicujus ordine posteriori ad prius infert. Illa autem dependentia, qua Mechanismus gaudet, est (1) essentialis, sic ut nullam aliam essentiam habeat, quam talem, quam causa superior largitur, vel potius per Creationem concessit, sic ut a DEO Mechanismus sit creatus. (2) dependentia ipsi venit tribuenda in conservando. Nam ut Mechanismus semet ipsum e nihilo evolvere non potuit, ac sese sistere in actu entitativo: eodem modo nec sese contra interitum in æternum, imo ne quidem ad momentum temporis conservare potest. Hinc dependentiam habet in conservando suo esse a potiori, id est, DEO (3) dependentia in causando gaudet, ut non aliter possit agere, quam ut à DEO juxta quandam legem ipsi agere

agere

Mechanismus non errat.

agere determinatum est, & quidem beneficio concursus Summi Numinis, & tam diu potest causare aliquid, tali modo, prout DEO visum fuerit.

THESIS. IV.

*Mechanismus in suis operationibus non errat
vel errare potest.*

Exegetis.

§. I.

Quo jure Mechanismo bonitatem triplicem essentialem, *Rationes* communicativam, completivamque, tumque & suo *quare ne-* modo perfectionem concreatam tribuimus, & quo jure *queat erra-* ei dependentiam in essendo, in conservando, inque cau- *re Mecha-* sando adscribimus: Eodem jure omnis erroris omnis- *nismus.* que in obliquum deflexionis expertem statuimus. Et ne hoc assertum nimis temere posuisse videamur, subsequentibus rationibus illud muniamus. Et ne nobis opponi queat, quod & entia, quæ essentialem bonitatem possident, hoc non obstante, erroris, salva manente bonitate essentiali, argui queant, ut hoc de Angelis lapsis, deque hominibus lapsis constat: Et nosse decet, *Mechanismum* non esse ejus indolis substantiam, qualis est angelorum & hominum. Quod autem ab errore Mechanismus liber maneat ac manere queat (1) *ob bonitatem* essentialem, hinc constat, quia ista bonitas essentialis, qua gaudet Mechanismus, est ita toti Systemati Creaturarum annexa, ut calor est igni agnatus. Calor autem aliter se habere non potest, quam ut ignis eum modificat: ita bonitas Mechanismi aliter se habere non potest quam ut dispositio Systematis exigit, hujusque ordini adæquatam bonitatem Deus Mechanismo concessit. Ita etiam bonitas Mechanismi essentialis recipiat cum bonitate

B

nitare

nitate totius Systematis. Quod si nunc erraret Mechanismus, istius erroris injuria bonitas Systematis violaretur ac aliquod deliquium pateretur. Cum ergo concatenatim bonitas Systematis & mechanismi cohæreant, error non nisi ab utroque committi potest. Verum hoc impossibile: tali quippe errato, omnes leges naturæ, violarentur (2) Bonitas sui communicativæ etiam erratum in Mechanismo impedit. Si quidem huic etiam genius Systematis coordinatus est, ut commercium internum habeat, quo Mechanismus suam bonitatem (1) cum toto Systemate (2) cum omnibus partibus particulis imo & atomis sese per omnia diffundendo, communicet. Tam & Mechanismus est ejusmodi substantia in quam non cadit malitia moralis, imo ne quidem malitia naturalis, ut qua non datur, & ne in venenis quidem, & sic per consequens non errat. (3) Bonitas denique completiva, qua numerus, pondus, & mensura rerum, in quibus DEUS omnia creavit, in suo esse perennant. Quare si erratum contingeret, hæc etiam excessum vel defectum paterentur. Ast hæc totius concinni ordinis a DEO facti legem violaret & (4) dependentia illa triplex, qua Mechanismus a suo Creature dependet etiam ei immunitatem ab erroris alicujus commissione præstaret. Si quidem hic Mechanismus non proprio instinctu sic agit, ut alicujus tertii interventione non egeat. Et licet Mechanismus quidem a DEO tam perfectus factus sit, ut bonitatem suam communicativam sic diffundere valeat juxta institutum DEI ordinem: DEUS tamen totum hoc regimen Mechanismo non concessit, & ab eo sic manum suam retraxit, ut ejus concursu non sit opus. Verum ita semper Mechanismo adest, ut nunquam non in omnibus operationibus naturæ summa animi devotione exclamare queamus: *Hic est digitus DEI* Sic aliquando exclamasse Magos, visis DEI miraculis, quæ imitari non possent in Ægypto, docet nos Scriptura Codex Exod. VIII. 19. Nostrum est, non duntaxat ad miracula

cula

cula sic exclamare : verum quodlibet in natura opus ostendit DEI digitum, ita ut nullum tam abjectæ fortis eveniat quod non superbiat digiti DEI præsentia, & omnipotentia DEI splendore coruscet, ita ut dubium sit an DEUS in minimis vel maximis major sit. Quod si videmus insectorum phalanges, quorundam corpora tam insigni pulchritudine sese commendant, ut etiam pulchritudinem ac aptissimam artuum cohærentiam, functionum oeconomiam elegantissimam artificiosissimamque latis demirari non possimus, ad sunt in iis pusillis corpusculis organa chylicationi, sanguificationi, vel humoris sanguini analogi elaborationi, spermatis confectioni dicata ac fœcum eliminationi destinata: adsunt & organa visus, auditus, olfactus, gustus & tactus: licet hæc insecta tam parva, ut non nisi beneficio microscopii conspici queant, tamen non caret illorum corpusculorum oeconomia organis ad conservationem apprime necessariis, & organis, quibus vel gressu, vel volatu sese loco movere queant. Sicque decem ante lustris, in Batavia fuit artifex, qui horologium sub gemma in annulo quamlibet horam sonum dando indicavit, paravit; quod artificium majoris æstimandum, quam magnum horologium. Ita major omnipotentia Dei, si excipias animam hominum ex fabrica minimi animalculi, quam ex fabrica ingentis molis corporis animalis elucet.

THESIS V.

Mechanismus finem suum, quem Systematis cæli & terræ conservatio ordoque postulant, nunquam non assequitur.

Exegesis.

§. 1.

Tritum est à Philosophis receptum axioma: *Deus & natura nihil frustra moliantur.* Hoc assertum Philosophicum

B 2

cum

hil frustra moliantur. cum est omnino perpetuæ veritatis. Nam cum Philosophi secum expenderent Summi Numinis omnipotentiam, Summi Numinis Sapientiam & elegantissimum rerum ordinem à Deo dependentem, Deique cum causis secundis concursum animadverterent, hunc formarunt Canonem quod *Deus & natura nil frustra moliantur*, & naturæ opera nunquam suo successu, nunquam suo fine, quem intendunt, frustrari. Siquidem nihil est quod naturæ, quæ per Dei concursum agit, operationes impedire vel sufflaminare vel in obliquum trahere potest. Non quidem negari potest, interdum quædam contingere in naturâ, quæ insigni excessu vel defectu, imò etiam enormi deformitate gaudent, ut sunt monstrorum generationes, portentorumque phænomena. Ast hæc sunt particularia errata, quæ in individuis quibusdam eveniunt. Hæc autem toti Mechanismo universalique ejus intentioni, universæque operationum oeconomix non possunt adscribi, quæ Deus singulari sibi cognito decreto sinit fieri.

*Idearum
existentia
& earum
vis.*

*Vid. diff.
Thubalcain.*

§. 2. *Quod si quoque idearum existentiam* quarum vim operatricem Deus Mechanismo indidit, consideremus, quarumque ductum fataliter sequi cogatur Mechanismus, semper suo obtento fine triumphat. *Istæ idee* habent efficacissimam vim, ita ut Mechanismus aliter agere, aliter corpora horumque formas figuras modificare non potest, quam ut eas dictitat idearum regimen. Quam potens hoc idearum regimen sit in mechanismo, hinc claret, adeo, ut etiam suam vim in imaginibus formandis extendat ad ea, quæ non ad animalium genesin pertinent, scilicet in lapidibus iu metallis efformet hominum, animalium, piscium, figuras. Hoc idearum regimen, hoc idearum dictamen tam alte inscripsit DEUS Mechanismo, ut hinc Mechanismus modifcet, corpora, tam anomala figura sigillet, & quæ cæteroquin corporibus non con-

venit

venit, ut dictum est de sigillatione fossilium. Et quoniam videmus tam admirandum naturæ penicilli opus etiam in abditis terræ caveris; hinc concludimus, quod Mechanismus instar auræ, instar Spiritus penetrantissimi ad hæc interiora terræ viscera adigatur, corporaque in iis oriunda tali figura, quâ apparent, signet. Ut analogice hoc dicamus, quemadmodum *imaginatio in prægnante fœmina potest sigillare foetum in utero, prout Phantasia figuram cerebro impressit*: talis quoque imò potentior est idearum in Mechanismo impetus, ut aliter corpus, quam ut idearum lex jubet, formare non queat. Hanc idearum inscriptionem acceptam referimus jussui & *alloquio Dei, quo Deus aquas & terram allocutus animalia vegetabilia producerent*, hoc alloquio ipsis aquis ipsique terræ inscripta est lex idearum, juxta quam idearum legem animalia & vegetabilia, juxta semel à Deo institutum formarum ordinem, figurarumque harmoniam progignunt. Hæc idearum vis etiam est indelebilis, immortalis, in rerum cineribus primisque minimis perseverans. Et licet ignis in illorum corporum contextu dissolvendo sævierit, nihilominus data occasione illa *vis resuscitatrix redintegratrixque vel palingenesia in cineribus adeo efficax est, ut corporis extincti simulacra quoad figuram totius partiumque beneficio ignis ob oculos ponat, non solum beneficio Spiritus Architectonici ignis, sed & beneficio Spiritus Architectonici frigoris, cujus rei aliquot exempla dedimus in dissertat. de frigore Theſ. IX. §. 2. p. 31. 32. 33.* Hæc ideæ, quas Mechanismus habet impressas, Mechanismi operationes adigunt ad eum finem, ut tali figura, talique imagine præditum corpus & non aliud, producat, quam ut idearum dictamen jubet. Simili quodam ritu, & modo, ut pictor imaginem alicujus hominis depicturus, aliter effigiem effingere non potest quam ut istius hominis figura vultus dictitat; hujus imaginis exemplar pictor suo inculpsit cerebro, &

*vide diff.
de phænice
Naturæ.*

14 *Mechanismus finem suum semper assequitur.*

hoc exemplar ducit modificatque pictoris penicillum, ut congruam imaginem vultus effingat, sin minus neque peritus pictor est, nec phantasiæ ideæ impressæ adæquatam operatricem habet. Moles non aliter Tabernaculum DEI ædificare poterat, quam ut eius ideam viderat in monte Sinai, aliq; necessitatis lege astrictus est Mechanismus, ut sic & non aliter operetur, sicque effingat corpora, prout ideæ illorum figuras Mechanismo impresserunt. Huic fato obediens finem suum nunquam non assequitur, sicque mundum archetypum in se habet Mechanismus, & nullum est corpus etiam abjectissimæ sortis, cujus Mundus archetypus non inscriptam habeat aliquam ideam, hicque Mundus archetypus est omnium idearum illarum rerum, quæ existunt, promus condus, quæ ideæ tam fortem habent impetum, ut suo fine frustrari non possit. Quem idearum impetum, regimen, dictamen etiam rectè salutare possumus Mundi phantasiæ, quæ nunquam non ex Mundo Archetypo in mundum aspectabilem influit, & quidem efficacissime, vel in corpora animalium & vegetabilium, verum etiam figillat lapides gemmas & metalla. Et quod mirandum arboribus medullitus nomina virorum, genera suppliciorum insculpat, ut testantur acta Hafniensia, Ephemerides Academiae Leopoldinæ. Hæc phænomena idearum phantasiæ modificantia ad hæc & similia simulacra: quanto magis potens erit Mechanismi vis idearum impetum sequens in materia, generatione animalium vegetabiliumque ad æquata. Meritò ergò asserimus, ut dictum supra quod Mechanismus nunquam non finem suum obtineat assequaturque, vide pluribus dissertationem nostram de Mundo Archetypo.

THE-

THESIS VI.

Mechanismus non nisi solius Dei jussui potestati dispensationique subjacet.

Exegetis:

S. I.

DELUS, qui totius Systematis cœli & terræ, ac in eo Mechanismi solus Creator est, etiam solus Mechanismum in sua potestate habet, cumque eo solo dispensare eique suum concursum subtrahere potest, adeo ut nec intelligentiæ vel DEI vice fungentes Creaturæ aut angeli fingendi sint. Quo asserto etiam Diabolo omnem vim vel potestatem in Mechanismum denegamus sicque primo locum invenit providentia divina quam prout ad nostrum scopum spectat, hujus definitionis circulo includimus. Providentia DEI est omnium rerum in suo existere in suo esse, inque suo operari constans & immota & perpetua Conservatio, Gubernatio atque ad suos fines a DEO ab æterno ordinatos actione omnipotenti concursuque influendo directio. Qua providentia omnia in hoc mundo contingentia uno quasi & communi sine interruptione concursu sustentat, gubernat. Quo intendunt digitum hæc dicta, quæ ex Oceano immensæ Sapientiæ id est ex Scriptura S. fluunt. Act. XVII. v. 25. 28. Ipse dat omnibus vitam & halitum & omnia. Nam in Ipso vivimus, movemur & sumus. Hebr. I. 3. Sustinet omnia verbo suo potenti Nehem. XII. 6. Tu ille JEHOVA es, tu fecisti cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum terram & quicquid est in eis, & tu conservas hæc omnia Ephes. I. 11. Omnia agit ex consilio voluntatis suæ. Hæc dicta sufficienter astruunt, quod Mechanismi virtus non nisi à DEI nutu dependeat, & quod DEUS istius regimen sibi soli reservaverit: quibus dictis, si hæc dicta jungantur, plenissimam nostri

*Solus DEUS
Mechanismum
dirigit.*

nostri asserti probationem damus, scilicet Esai. XXVI. 12, Tu JEHOVA, nobis pacem conciliabis, quippe qui omnia nostra perficis opera Joh. XV. 6. Si quidem vos sine me nihil potestis praeprimis nostro asserto praeter haec immotum fulcrum substernit Propheta Amos V. 8. Qui facit Arcturum & Orionem & convertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutans. Qui facit aquas maris, & effundit eas superfaciem terrae. Nomen ejus JEHOVA. Jer. XXIII. 24. Non occultabit se quis in occultis, & ego non videbo eum? dixit JEHOVA! Annon caelum & terram impleo, dixit JEHOVA. Quorum dictorum anatomiam si instituamus, tunc Mechanismum, de quo noster sermo est, exprimunt. (1) Arcturus (2) Orion. (3) Mane (4) Tenebrae (5) Dies (6) aquae maris (7) effusio aquarum (8) Caelum & terram implet. Quando hoc dictum Prophetae Amos expendimus, tunc ultro claret, praeter DEUM nulli competere vim vel potestatem aliquam in Mechanismum. Quae hic Amos recenset, sunt illa, quae fere totum Universum absolvunt, ac subjectum in quo primario efficaciam Mechanismi animadverbimus. (1) Hic DEO adscribitur regimen in stellarum exercitum, & quod hic vocabulum *Kesil* totum stellarum agmen significet, probavimus a libi. Vide nostram dissertationem de Atlante Universi Thesi. I. p. 6. (2) mane, tenebrae, dies, haec conjunctim temporis successionem generalem & specialem exprimunt (3) aquae maris, id est, omnem aquam sic disponit, sic fluere facit, ut lubet, eas evocando ex utero suo ad totum inundandum vel evocando in sublime ascendant, nubesque faciant I. Reg. XVIII. 44. Lucretius Libro VI. optime canit: *Humorem magno tollunt ex aequore ponti nubes.* Hincque rerum foecunditas vel eas dividendo, ut instar muri consistant Exod. XIV. & 2. Reg. II. &c.

§. 2. *Dicta scripturae*, quae DEI providentiam asstruunt, etiam soli DEO potestatem in Mechanismum tribuunt, horumque haec est series (1) *animantia terra*
 Genes.

Genes. I. 30. Ps. CIV. passim & Ps. CXLVII. 9. (2) *pisces*
Ps. CIV. 25. Job. XLI. Luc. V. 6. Joh. XXI. 6. Matth.
XVII. 27. (3) *Aves* Ps. CIV. passim & Ps. CXLVIII. 10.
Matth. VI. 26. X. 29. (4) *Herba frutices & arbores.* Ps.
CIV. v. 17. Matth. VI. 28. 1. Cor. XV. 28. (5) Ps. CIV.
19. Jer. XXXI. 8, 9. Josu. X. 13. (6) *Meteora & nubes,*
Hiob XXVI. 8, 9. Ps. CIV. 3. Psal. CXLVIII. 4, 5. (7) *plu-*
viæ Matth. V. 45. Act. XIV. 17. (17) *fulgur & tonitru.*
Ps. XVIII. 13, 14. Ps. L. 3. (9) *Tonitru Venti,* Psalm.
CXXXV. 7. Jerem. LI. Matth. VIII. 27. (10) *Metalla E-*
zech. XVI. 17. (11) *aquæ & fluctus* Job. XXXVIII 16.
Ps. CIV. 9. Matth. VIII. 25. Hæc quæ hic recensuimus,
sunt etiam cuncta opera, quæ in theatro naturæ compa-
rent, quibusque tota Universi oeconomia absolvitur.
Hæc autem omnia Scriptura S. tribuit *solius DEI potestati,*
& in his quoque consistit *Mechanismus,* & *Mechanismi*
sunt effectus.

§ 3. *Concursus DEI cum causis secundis soli etiam DEO Concursus*
non restrictam, vel, limitatam, sed absolutam potesta-
tem in Mechanismum vindicat. Quem nam autem concur-
sum DEO cum causis secundis adscribere conveniat, non
est opus hac de Controversia juxta Philosophiæ Schola-
sticæ cathedram prolixum sermonem instituamus, ut
qui hic brevitati studemus, eum *DEI concursum cum causis*
secundis definiunt nobis Scriptura S. dicta articulo 2. allegata.
Ex sexcentis dictis Scripturæ S. hoc unum dictum Jerem.
XXIII. 24. *Annon coelum & terram impleo? dixit Jehova.*
Quomodo autem coelum & terram implet, scilicet,
essentiâ suâ, (2) omnipresentiâ, (3) omniscientia omni-
potentia & (5) providentia, & sic minimè implet
coelum & terram, ut æther & aer hoc ingens spa-
tium implent, sed efficacissimè *modo suis attributis ade-*
quato, imo & ita implet, ut nihil in Universo fiat nisi
ex consilio voluntatis & sui decreti Ephes. I. 11. & *ut sustineat*
omnia verbo suo potenti Ebr. I. 3. *Quod si omnia opus habe-*
ant,

G

ant,

ant, ut sit aliquid, quod sustineat, & hoc est verbum, & hoc est mandatum & hoc est decretum Dei. Oportet ergo ut hoc decretum Mechanismum regat gubernetq; qualem nunc concursum hæc dicta asseverant, talem concursum defendimus. Qui hunc concursum tollunt, similes sunt, *Judeis, Apostatis, Idololattris, qui Melech coeli adorarunt* (*Melech Coeli istis Judeis idem erat quod quibusdam Philosophis est Avicennæ Calcothea.* Si enim collationem instituimus, hæc duo unum & idem significant. Nam ut hi placentas, libamina lunæ imagine signata offerebant: Sic hi sui ingenii Phantasmata autorum aliquorum sententiæ figura consignata immolant, inque DEI Majestatem injurii sunt. Causa est quod nimio amore recentiorum scriptorum dementati à via Regia Philosophiæ antiquæ in bivium abeant. Philosophia Scholastica in Metaphysicis, prout eam *Nostrates, Scheiblerus, Rudraufius Calovius Velthem, Museus, Stratemannus Sievogtius* aliique docent, & quidam saniores Scholastici tradunt, non temere deserenda: Sed retinenda, juvenum animis imprimatur, opera danda est. Quam si ex scholis rejicimus, arma, quibus contra *Socinianos, Serveti asseclas, Calvinianos, Remonstrantes* orthodoxiam defendamus, nos deficient. Etiam Theologi *Nostrates* omnium felicissime contra *Calvinianos, Socinianos* scripserunt, qui Metaphysices cognitione excelluerunt. Nunquam noster piæ memoriæ *D. D. Franckius, Academia, dum viveret, Procancellarius* meritissimus tam felix fuisset in refutando *Wendelino*, in refellendo *Limburgio* & in asserenda *Divinitate Christi* contra *Socinianos*, si in Metaphysices cognitione tam insigniter non excelluisset, in qua vix parem, superiorem neminem habuit toto elapso seculo. Quam itaque necessaria sit Metaphysica saniorum Scholasticorum, hinc constat, hæcque sola obstabit, si ei demus operam, ne in Labyrinthum *Cryptosocinianismi* turpiter nos nova Philosophia precipitet. Nova illa Metaphysica, quam quidam magni Viri & excellentissimi Philosophi

Philosophi

losophi juxta ductum novorum Philosophorum cudunt, est occultum venenum, occulte Socinianismo fulcrum substernens.

§. 4. Quid itaque de Diaboli operibus, quibus Dei simiam agit, sentiendum sit, paucis exponemus; quod Diabolus, quantus etiam sit tenebrarum Princeps, quamque etiam magnum regimen in aerem habeat, nihil contra, nihilque præter naturam possit, & quod ut canis catenis alligatus, sic quoque DEI decreto adstrictus, ut nihil omnino ordinem transcendens possit efficere, nobis persuasissimum est. Et si quæ faciat, quæ mirabilia videntur, non nisi ex singulari Dei indultu ac permissione facit: quæ tamen minime contra vel præter naturam sunt, sed sunt naturæ ipsius viribus adæquata opera, quæ minime ejus vires transcendunt, vel contra & præter eas sunt. Siquidem Deus, pulcherrimi sui ordinis, quemque æternum vult, ac immutabilem instituit, violationem non admittit imo si Diabolo esset integrum vel possibile, pro lubitu contra naturam vel præter eam agere, tunc Labyrinthus confusionum loco ordinis fieret. Dicta Scripturæ S. etiam contraria evincunt, ut probat historia Jobi &c. Magi in Ægypto, qui simias Mosis & Aaronis agebant, omnia miracula sub larva fascinationis & glaucomatis DEO permittente æmulabantur. Ast cum perventum esset ad abjectissimæ sortis insecta, pediculos scilicet, tunc Diaboli, Deo suum concursum subtrahente, potestas frangebatur, & quod erat omnium minimum, non poterat superbus ille Spiritus. Sicque cessat nullaque datur *Magia Dæmoniaca*. Tolle enim superstiosas ceremonias (2) tolle vanos ritus (3) tolle vanam horarum dierumque electionem (5) tolle fascinationes sensuum (6) tolle coejurationes (7) tolle incantationes (8) tolle pactum & tota magia Dæmoniaca tollitur, utque hisce ficulneis fulcris ac diabolicis inventis innititur. Hac sublata, ut merito tolli debet, præter Magiam Divinam & naturalem nullam habemus. *Magia enim Dæmoniaca, sublatis iis fulcris, quæ antea nominavimus, est*

Opera Diaboli natura legibus sunt alligata.

est Magia naturalis pura & minime superstitiosa. Interim non negamus, Diabolum qui jam per quinquaginta annorum secula naturæ cursum operationes aliæque phænomena observavit, magnam & stupendam experientiam sibi comparasse, ut multa queat, quæ abditas agnoscunt causas, & quoniam horum ætiologiam tam cito, ut asparagi coquuntur, assequi non possimus, Hinc, est perperam, pro miraculis habemus, cum in se nihil aliud sint quam Magiæ naturalis opera. Qua nam fronte ergo quidam Metallorum metamorphosin, Sympathia & Antipathia operationes, curas Magneticas, quæ omnia & majora adhuc ex Magiæ naturalis ærario ditissimo profluunt, Diabolo adscribant, ipsi viderint, & quam injurii sint in naturam à Deo sapientissimo ordine coruscantem, verbis exprimi non potest.

*Miracula
adscribunt
Deo pote-
statē in Me-
chanismum*

§. 5. *Miracula, quorum Scriptura S. meminit, (ne nunc aliorum miraculorum mentionem faciamus. Nam Deus mundum in statu suo conservando, æque magna miracula facit, ac ut fecit, mundum ex nihilo creando) & soli Deo potestatem in Mechanismum adscribunt.* Hæcque absolute sunt supra *Mechanismi* vires, ex quorum ingenti numero unum hac vice adduxisse sufficiat. Sit itaque miraculum hac vice transitus Israelitarum per mare rubrum Ex. XIV. 21. 22. textus ita sonat: *Moses extendit manum suam super mare, & recedere fecit הַיָּם mare vento orientali vehementi tota nocte posuitque mare in siccum, & jam scissæ erant aquæ. v. 22. ingressi sunt igitur filii Israel in mare per aridam, & aquæ iis erat Murus ad dextra & sinistra eorum* Mare rubrum concessit Israelitis transitum per suum fundum aquis denudatum, & aquæ ipsos Israelitas *instar muri* dextrorsum & sinistrorsum cingebant, & tanquam valla eorum castra muniebant. Quod autem hic Israelitarum transitus recte miraculorum classi annumeretur, licet contrarium *Empæta* statuunt, & causam istius transitus reddere conentur, sequentibus rationibus evincemus

mus

mus: (1) *Confugiunt & pretendunt* tempus fluxus & refluxus maris observasse Molen, i quo transiret. Sed posito sed non concesso, illam reciprocationem fluxus & refluxus observasse hunc Israelitarum ducem, tamen hic fluxus & reflexus tam diu non relinquit funum aquis privatum, ut tam numerosus exercitus qualis fuit Israelitarum, scilicet sexcenta millia peditum virorum præter parvulos Exod. XII, 31. Neque numerantur inter has copias, qui vigesimum ætatis annum nondum expleverant, mulieres, nec senes nec vulgus Ægyptiorum, qui Hebræis adhæserunt, quos omnes aliqui putant attigisse tricenis centena millia, siccis pedibus transire potuerit una cum impedimentis, quorum ingens numerus fuit. (2) *non confuse sed ordine* exercitus transit, juxta ordinem numerumque tribuum. Una tribus primo ingressa est, & juxta quosdam tribus Juda. Hanc alia tribus subsequuta & sic consequenter, donec omnes tribus littus adversæ partis vel terram attigissent, Tribum ultimam subsequuta impedimenta, plaustra curruumque agmina: quæ vehabant recens natos aliosque teneriores infantes, nutrices, fœminas puerperas, prægnantes, decrepitos senes. Postea subsequuti armentorum camelorum, bouum, ovium, caprarum greges & alia multa, qualis transitus tot hominum totque mille animalium impedimentorumque plus longiusque requirit tempus, quam ut hoc ipsum tempus est, quo fundus maris aquis destituitur. (3) *Inm & neque influxu vel refluxu* fundus maris adeo aquis destituitur, ut tanta sit siccitas, ut sicci transire queant. Sunt præterea in fundo maris hic vel ist hic *vada profunda* vel alti *gurgites* aliaque loca profunda, quæ aquarum copiam in se continent quo minus detur transitus tanto scilicet tamque numeroso hominum jumentorumque exercitui. (4) *Urgemus merito Ps. CXXXV* ubi legitur, quod Deus mare diverserit in divisiones. Quomodo autem istæ divisiones intelligendæ sint, docet nos Exod. XIV. 22. 29. Filii autem Israel perrexerunt per mediũ sicci maris, & aquæ iis erant quasi pro mu-

ro â dextris & sinistris, aquæ non fuerunt congelatæ sed accumulatæ vel acervatæ, in formâ duarum magnarum nubium erectæ, quarum una tegit dextram, altera sinistram castrorum Israelis. (5) v. 21. *Cumque Moses extendisset manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vebementi, & virente orientali, totâ nocte, & vertit in siccum, divisæque est aqua, quæ etiam evincunt, non fuisse fundum maris beneficio fluxus & refluxus aquis vacuum factum sed miraculo, & hoc miraculo simul vada & simul alti gurgites, aquarum præsentia privati (6) v. 26. Et ait Dominus ad Mosen: *Extende manum tuam super mare, & revertantur aqua ad Ægyptios super currus & equites eorum.* Itaque abductio aquarum, itaque fundus esset siccus aptusque ad transitum, & reductio aquarum dependerunt ab extensione manus ipsius Mosis, cui Deus illam vim miraculosam concessit, & non ab ordinaria reciprocatione maris, quotidie recurrente (7) *Miraculum hic esse etiam confirmat v. 19. Et profectus est itaque Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, & ivit a tergo ipsorum & profecta est columna nubis, quæ erat ante eos, & stetit â tergo ipsorum.* Proinde hoc miraculum fuit tanto illustrius, quod præcedens Angelus una cum columna nubis jam agmen Israelitarum clauderet, quæ nubes & tenebrosa & lucida erat tenebrosam faciem obvertebat Ægyptiis, Hebræis vero lucida ostendebat, vel sic illa nubes, quæ antea obscura erat, in flamma ignis versa illuminantem. Huius lucis beneficio iter suum Hebræi persequerentur per mare rubrum. (8) *ad miraculi magnitudinem facit extinctio Ægyptiorum per aquarum reductionem, quoniam omnes copię ita fuerint extinctæ, ut nullus aufugere potuerit. Oportet ergo, quod totus Ægyptiorum exercitus in medio maris constiterit & illic consistentes copias Ægyptiacas aquæ, partim quæ instar muri dextram & sinistram claudebant, obruerint inundarint & submerferint, partim aquæ, quas Moses manu**

manu

manu sua reducebat. An autem *tres Leuce* tam copiosissimum agmen, quod Israelitarum agmine majus credimus. Pharaon enim sciebat numerum Israelitarum & transfugarum Aegyptiorum. Ideo etiam exercitum eduxit ad minimum duplo maiorem quam Israelitarum exercitus fuit, ut si ad proelium perveniret, numero sufficientem haberet, agmen in suo medio tenere poterint, valde dubito. Credimus ergo locum, quo transitus fuit factus tribus leucis fuisse amplio-rem. Nam prius aquae a Mose non fuerunt revocatae, quam cum ea castra tali loco haberet, tota castra commodè certiusque obrui possent, atque ad totalem interitum suffocationemque redigi juxta *comminationem Dei* v. 13. poterint, & quidem ne nuncius, qui interitum annunciarer, superstes manserit. Illustris locus est, quem habet Excell. *Bochartus* suo *phaleg.* l. IV. c. XXIX. p. 319. Ex *Diodoro Siculo* l. 3. p. 122. apud vicinos *ichthyophagos veteri fama*, quam a maioribus acceptam tradunt *rectus magno quodam maris recessu omnibus locis ejus sinus arefactis, & mari in oppositas partes relabente fundum coloris viridis apparuisse & rursus immenso aestu mare refluxum in priorem locum esse restitutum.* Quibus verbis miraculum, cujus Scriptura *Exod. XIV. & XXI.* meminit, evidenter ex primi nemo non videt. *Sedul. in pasch.* sic canit.

*Pervia divisi patuerunt caerulea ponti
in geminum revoluta Latus, nudataque tellus
cognatis Spoliatur aquis*

Et (9) confirmatur historia parallela, qua Israelitae transierunt *jordanum* siccis pedibus *Jos. c. III. V. 14. 15. 16, c. IV. v. 5.* illic & aquas constitisse indicatur ac in fundo XII. Lapidem collectos fuisse dicit. v. 5, c. IV, Eodem modo *Eliseus* pallio *Eliae* divisit aquas. 2. Reg. c. II. 14. ut aquae ab utroque latere consistentes siccum transitum prophetae facerent. Simili modo aquae in transitu Israelitarum *Exod. c. XIV.* steterunt ab utroque latere. Sic
historia

historia historiam confirmat, & illustrat. Empæctas ergo tam turquissimæ miraculi divini negationis pudeat, pœnite atque.

THESIS VII.

Mechanismus tali, quo a Deo factus est statu in æternum citra senectutem, viriumque languorem si Deus suum concursum non subtrahat, in suarum functionum œconomia immutabiliter perennare potest.

Exegesis.

§. I.

*A parte
Dei nullam
mutationem
patitur Me-
chanismus.*

M*echanismum nullius mutationis fato esse obnoxium, & in æternum duraturum, nisi Deus suum concursum subtrahat, in hac thesi statuimus. Hoc assertum sequentibus muniemus rationibus (1) Deus Ter Opt. Max. eadem mensura omnipotentia & virtute, qua ex nihilo coeli & terræ Systema eduxit, eadem & non minori omnipotentia virtute quoque conservat, quoque concurrat, quippe si vel minori virtute, quam ut creavit, conservat, alicujus mutationis argui posset. Deum autem immutabilem, Scripturæ S. dicta statuunt Malach. III. Ego Deus non mutor. Exod. III. Sum qui sum. Jac. I. 17. Apud quem nulla est mutatio (2) Urgemus hoc axioma: quod Deus magis ad construendum quam destruendum, magis ad conservandum quam corrumpendum inclinet. Proinde à parte Dei in Systemate coeli & terræ nulla mutatio in deterius, nulla mutatio in aliquem languorem, quem inducit senectus, metuenda est. Obstat dictum vel promissum DEI Genes. VIII. v. ult.*

v. ult. quod sementis & messis, frigus & aestus, hiems & aestus, nox & dies non requiescent. Etiam pro opinione nostra pugnat, quod DEUS cuncta in numero, pondere & mensura creavit: quod si DEUS aliquid mutaret, & hæc quoque mutarentur. Ast hoc impossibile. Et quam diu non fit horum mutatio, neque & languor virium fieri potest.

§. 2. Neque etiam potest fieri languor virium vitio *Non datum* vel instinctu ipsius naturæ. Nam DEUS qui ut antea diximus, est conservationis amator, etiam naturam talibus donavit dotibus, ut sui conservationi nunquam non studeat. Et ne conservationis media de essent, DEUS instituit generationem, quæ est quasi continuata Creatio, cujus beneficio animalia, vegetabilia, mineralia in pulcherrimo ordine perennant, & quasi juxta legum quarundam decretum in natura fundatum agit, & qualis est facies in systemate rerum sublunarium perpetua, talis est facies perennans & perpetua in systemate rerum cœlestium, ac inter corpora systematis inferioris & superioris est perpetua & consonans harmonia, sic ut in nullo vel excessus vel defectus vel languoris vitium (excipe miracula, quæ DEUS fieri sinit) unquam fuerit observatum neque observabitur, licet mundus adhuc mille myriades seculorum perseveraret.

§. 3. Ex hoc discursu patet, quidnam sentiendum sit de quorundam magnorum virorum, quorum famam adoro & veneror, illorumque scripta spissius exosculor, erroribus, quos fovent de mutatione astrorum, quod scil. stellæ quædam fixæ in Cometas successu temporis transeant, imo ipsum solem aliquando in cometam transmutatum iri; quibus magnis viris opponimus dictum Dav. dis Ps. CXLVII, 4. *DEUS numerat* *stellas ac nominibus suis insignit.* Hinc ita inferimus: quod si stellæ fixæ transeunt, & sol transit in Cometam, tunc

(1) non manet idem numerus stellarum, nam quæ in

D

Come-

Cometas transeunt, aliam figuram accipiunt. (2) Perdunt officium suum ad quod à DEO sunt destinatae, nomina enim, quae Deus imposuit stellis, non sunt nuda appellationes, sed sunt essentiam dotesque earum exprimentes, reales significationes. Proinde illa mutatio & transformatio stellarum impossibilis est, & quanti etiam sint viri, quantoque etiam eruditionis lumine coruscent, aliquid humani patiuntur.

THESIS. VIII.

Mechanismus tanquam Spiritus mundo insitus caloris, & frigoris vicissitudini successioneque temporis, generationi rerum, ac plenitudini magneticae nunquam non in aeternum vacat.

Exegetis:

§. I.

Mechanismus Spiritus. **M**echanismum mundi rebus à DEO conditis inditum Spiritum salutamus, & quidem summo jure; siquidem (1) hic Spiritus suum ortum debet istius Spiritus, qui ferebatur super aquas incubatui motuique, quo super aquas ferebatur (sive nunc hic intelligendus sit Spiritus Sanctus, ut volunt, jubent, imperantque nostri Theologi, vel an hic Spiritus creatus, vel *anima mundi Platonis* intelligatur, in medio relinquimus:) Cui communicationem vel impressionem virtutis plasticae acceptam referimus. Quamque tanto potentio-riorem credimus, quanto major iste Spiritus incubans fuerit, quare nostri Lutheri in hunc locum interpretationem amplectimur, qui ita loquitur: *hic Spiritus Sanctus incubat; sicut enim gallina incubat ovis, ut pullos excludat, ova calefa-*

calefa-

calefaciens & calore quasi animans, ita Scriptura dicit, Spiritum Sanctum quasi incubasse aquis, ut ista corpora, quae animanda & ornanda erant, vivificaret, Procopii Gazæi Sophistæ dicti interpretatio fere cum Luthero nostro convenit, inclinatur autem magis ad ventum vel aërem, quo & Clericus in suo Commentario respicit: Quidquid sit illam controversiam prolixius tractare non est nostri instituti. Videtis Pfeifferi dubia Sacrae Scripturae centuria 1. loco 1. p. 1. 2. 3. & 4. sive nunc Spiritus Sanctus fuerit, sive Spiritus creatus hic aquam imbuat tali virtute plastica, qua postea aqua apta fuit ex suo promòcondò animalia & vegetabilia proferre potuerit, talem autem virtutem generativam non nisi Spiritum vel auram vocare possumus. (II) hanc virtutem Deus in aquas & terram insertam ex potentia in actum vocavit suo alloquio & jussu, quo juberet aquæ & terræ animalia & vegetabilia producerent, scilicet ex vi à Spiritu super eas movente cum iis communicata. (III) Et istam virtutem magis confirmavit & tanquam æternam legem stabilivit, sua benedictione clementissima *crescite multiplicamini & replete terram*, hinc illa vis prolifica Mechanismi tam efficax facta, ut si hic mundus in numeras Seculorum myriades perseveraret, iste Mechanismus eadem virtute immutabiliter citra languorem virium perennaret, etiam ex hoc fundamento Mechanismus est *infinite virtutis*, si Deus suum cursum non deneget. (IV) Hinc vim plasticam, quam Spiritus super aquas sese movens, aquis indidit eundem Spiritum esse, cujus Psalm CIV, 29. 30. meminit, nobis omnino persuasissimum est, verba v. 30. sic sonant, *emittis Spiritum tuum & creabuntur*, Spiritus hic, quem DEUS emittit dicitur, est Spiritus vitalis simulque plasticus, qui materiam eam animalium tanquam forma informans informare debet: Locus Hebræorum Cap. XI. v. 9. hunc locum illustrans dicit. *Omnis vita à DEO*, quod hic Spiritus vitalis intelligatur, docet v. 29. præcedens, *quo Spiritu deficiente in pulverem revertuntur*, sicque est, quando illa

flamma vitalis extinguitur, vel e corpore animalis egreditur, tunc corpus in terram & aquam convertitur per viam corruptionis, *hujus Spiritus*, cujus David meminit, *officium est*, si in corpore præsens sit, corpus vivat, si e corpore emigret, moriatur. Proin in Psalmo intelligitur *Spiritus creatus*, qui jussu Dei in corpus ingreditur, qui que jussu Dei ex corpore egreditur, & sic minime intelligendus venit Spiritus Sanctus hoc loco, ut in quo agitur de vita & morte animalium, utrumque à DEO dependens, ut antea viximo ex Epistola ad Hebraeos probavimus, *neesse enim est inter vitam & essentiam animalium, & inter essentiam Dei distinguamus*, si enim pro uno eodemque habemus, in Manicheorum castra incidimus, vel in absurdum pythagoræ dogma, quo statuit Deum esse animum per naturam rerum diffusum, cujus particulæ nostræ, & animantium, essent animæ, dilabimur (V) Mechanismum esse Spiritum, etiam probat locus Job. XXXVII 20. *Flante Deo concrescit gelu, a flatu vel spiraculo Dei*. Quis flatum, vel, spiraculum Dei hic acciperet pro Dei substantia, quasi Deus flatum emitteret, non secus ac ex ore animalis prodit flatus. proin hic flatus accipi debet pro serie causarum secundarum, quas Deus movet, ac, impellit, jubetque hæc effecta edant in naturæ theatro, hæc autem causarum secundarum series, cum qua Deus ad hæc effecta edenda concurrat, est Mechanismus hujus mundi. unde quoque gelu facit. i. e. pro voluntate Deus dat gelu per causas naturales, scilicet ventum, quem Deus in organum mechanismo mittit, ut gelu gignatur. vide Thef. III. §. 1. p. 6. *diff. nost. de Frigore*. Deus hunc Mechanismum hisce Legibus, quas Cap. VIII v. 22. Genes. recenset, adstrinxit. Quas jam ordine expendemus; Totam enim oeconomiam operationum mundi absolvunt.

Organa
Mechanismi.

§. 2. Hinc Spiritui vel Mechanismo Deus suas constituit leges, & adjunxit Spiritus architectonicos, per quos tan-

tanquam organa sua in naturæ theatro edit opera, scilicet frigus & calorem. *Frigus est Spiritus partim, qua habet vim penetrantissimam, adeo ut ipsi nihil sit invium, vel & talem alterationem in corporibus inducit, qua alteratione in alium statum transfertur ut docet quotidiana experientia, præ primis in hieme, quo tempore plurimum, sævit tam admiranda effecta edit, quæ homines satis demirari horumque Creatorem satis venerari non possunt. Et licet ejus objectum tam late se extendat, quam longe lateque ambitus corporum naturalium sese porrigit: tamen in fluida (non æquè in fluidiora, multo minus in fluidissima) vim suam primario exerit. Excipimus fluidiora, quæ spectant ad spirituum familiam, ut sunt Spiritus vini & id genus. Quod spiritus Vitrioli hieme Anni 1708. congelatus fuerit in Jutia, asseruit experientia. Fluidissima vim frigoris rident ut sunt lux, ignis, æther, & aer. In aere quidem natant particulae frigorificæ scilicet nitrosæ: sine nitro nullum frigus. Ast aerem, qua aerem, exceptis particulis aqueis in eo existentibus,) inspissare non possunt. Frigus habet suos gradus actionis, per quos magis vel minus fluida in crassat vel inspissat, sicque & gradus habet, per quos quædam corpora magis vel minus emollit, eodem modo habet suos gradus, quibus vel augendo vel minuendo homogonea ab heterogeneis dividit vel sequestrat. Omnium istorum graduum differentia ac vicissitudo a Mechanismo strictè in genesi corporum observatur, sicque frigus in quibusdam corporibus generandis hunc tenet processum, ut solida in liquida, via corruptionis, convertat e g n si triticum putrescat, non feret fructum, est effatum dulcissimi Salvatoris. In isto putrefactionis actu triticum conuertitur in materiam liquidam, in aliorum corporum generatione alia incedit via: Semper autem putrefactio vel corruptio præcedit genesin. Sicque vis frigoris primario consistit in inspissatione in emollitione, in induratione, in homogoneorum ab*

heterogenes separatione, juxta corporis in quod agit indolem & Mechanismi directionem. Hic autem Spiritus architectonicus scil. frigus materiam magneticam, quæ est soboles quoque aeris, in quam sese interit, & cum qua intrinsecum commercium habet, est *nitrum* vide *dissertat. nostram de frigore* p. 34. 35. idcirco & à nitro foecunditatem deducimus.

Calor quid,
Spiritus ar-
chitectoni-
cus.

§. 3. Calor qui nihil aliud est, quam fluor particularem ignearum ex igne promanans & cum etiam habeat vim penetrantissimam, sed a frigoris virtute in hisce punctis distinctam, ideo spiritus merito salutatur. Differt autem caloris vis a frigoris vi (1) frigus frigefacit, calor calefacit (2) uterque spiritus quidem urit, sed alio modo urit frigus quam calor. Calor urit corpus in cineres & villas convertendo. Habet enim particulas acutas incidentes contextum dissolventes, quas impellens ignis instar serræ reciprocatur, & reciprocando tam diu continuat donec dissolutio contextus fiat. Quæ particulae caloris sunt acidæ propter ens sulphureum, quod igni semper admixtum, acidæ particulae semper disscindunt: frigus è contra etiam urit emolliendo, vel indurando juxta corporis genium, at non in cineres transmutando, particulas quidem habet acutas, & acidas propter nitrosas particulas, in quibus existit, sed cum nitrum in frigore non patiatur analysin, ut sulphur in igne, hinc neque contextum corporis, simili modo ut calor, solvit. Frigus urit, etiam propterea, quia poros constipat, ideo intrinsecus latens calor in corpore animalis ob denegatam transpirationem urit partes interiores animalis. Utriusque spiritus architectonici præsentiam eget oeconomia corporum. Deus utriusque spiritus efficaciam virtutemque sic per Mechanismum temperat, ut ad cujuslibet corporis genesin sic influant, ut corporis genius indolesque suadent, & ejus conservatio postulat. Utriusque autem virtus & efficacia consistit in octuplici

octuplici motu (1) in motu expansionis, (2) in motu contractionis vel concentrationis, (3) aggregationis, (4) sympathiæ & antipathiæ, (5) continuitatis (6) contiguitatis (7) impulsionis (8) sequestrationis. Hunc octuplicem motum in omnium rerum naturalium generatione & conservatione quotidie observamus, eumque sequentibus includimus legibus (1) *omnis motus fit à fluido*, & citra approximationem fluidi non datur motus, (2) *nullum corpus durum habet motum, nisi fluidum concurrat* (3) *quo quid fluidius, tanto majorem impetum habet ad motum sciendum*, (4) *fluidissimum movet fluidius, fluidius movet fluidum* (5) *fluidum non habet renitentiam, si fluidius impetum faciat*, (6) *quia omnia naturalia corpora circumdata sunt fluido fluidiori & fluidissimo, hinc nulla in rerum natura quies*, (7) *quies est tardissimus motus* (8) *ad motum omne corpus, cujuscunq; sit constitutionis, inclinatur quoniam coaluit fluido, & cum externo fluido intrinsecum commercium fovet* (9) *quoniam omnia cingunt fluidiora & fluidissima, hinc & nullum vacuum in natura existere potest*, (10) *fluidum fluidius ex corpore expellere non potest, sicque antlia pneumatica habet fluidum quid, hoc autem fluidior est aer, hinc aerem expellere non potest, sed eliminat particulas heterogeneas*. (11) *Fluidissimum fluidius, fluidius fluidum cingens constituit Basin ideo totus astrorum Exercitus in cœlo, telluris globus in aere pendula manent, nec vacillant, nec nutant*. (12) *Fluido e toto universo sublato omnis motus periret*. (13) *motus omnium primus fuit in fluido, motus omnium ultimus fiet a fluido*. (14) *Si fluidissimum sine intermedio fluidiori cingeret tellurem, nullum vivens in eo existere posset*. (15) *Omnium corporum Essentia consistit in fluido, & ad fluidum inclinatur, & hinc habet suum motum suæ indoli analogum* (16) *Fluidissimi puritas obstat, universum in motu suo non langatescat*. (17) *Nullius viventis corporis languescunt vires, quamdiu fluidissimum in eo manet purum*. (18)

(18)

(18) *Motus individuus* effectus est fluidi. (19) *Motum* inter corpora reciprocatur fluidum. (20) *Fluidum* contextus homogenei fortius movet corpus fluido ex contextu heterogeneo oriundo. Hæ sunt leges motus, quæ totius universi œconomiam afficiunt, & quæ totum universum in statera numeri, ponderis, mensuræque conspirat. Regulæ de motu corporum, quas dat *Excell. Hugenius* existunt, & legi possunt in *Actis philos. Anglic.* 1669. Mens. April. p. 780. Quas hic inserere non lubet, nostro enim proposito non conveniunt. Et agunt de durorum corporum motu, quæ in se considerata motus sunt expertia, nisi fluidum accesserit: non autem veram causam motus ex suo fonte fluidi, ex quo deduci debent, deducunt, hinc leges *Hugenii* non sunt leges, sed opiniores vanæ.

THESIS IX.

Mechanismus fato temporis adstrictus est.

Exegesis.

§. I.

*Temporis
fato Me-
chanismus
subjacet.*

Mosis historiam Creationis descripturus ita fatur: In principio creavit DEUS cœlum & terram. Vocabulum principium varias explicationes apud Theologos invenit, quas illorum cathedræ relinquimus. Nos accipimus de tempore, quod scilicet antea æternum successione carens jam demum cum existentia rerum creaturarum a DEO in successionis fatum sit redactum, relate scilicet ad mundum, ita ut cum mundi existentia tempus, successioni & vicissitudini sit adstrictum. *Temporis* ait in h. l. *Procopius Gazaus Sophista* p. 6. ut apparet. Hic dicit principium exinde enim cepit eorum, quæ per Creationem provenere tempus cum reliquis operibus eum creatum est. Et idem Autor allegato loco p. 7. tempus quoque ad amissim enarratur, ut cognoscamus DEUM esse infinitum, rerum vero naturam

(81)

naturam sine circumscribi & tempori esse obnoxiam. Siquidem in primordio secundum temporis rationem in essentiam deducta est. h. i. & quod omnia creata, quorum intrinsecus Spiritus est Mechanismus, temporis fato subjaceant; Docet nos Regnum Sapientiss. Salomon Eccles. III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Omnia tempus habent & suis spatiis transeunt universa sub caelo. Cui consonant quarto libro Esra c. IV. Quoniam in statera ponderavit seculum & mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora, Doctrina hæc, quam hic docent Salomon & Esras ex reconditissimo divinæ providentiæ arario fluxit. Nil enim tam magnum ac minimum, in naturæ teatro evenit, quod non Deus ab æterno, quid fiat vel fieri debeat, immutabiliter decreverit, temporisque opportunitati locoque alligaverit. Sicque hic Mechanismus subjacet fato dum dicit Esras: *Statera ponderavit seculum*, hoc ita intelligendum venit: Seculum est tempus centum annorum, itaque hoc tempus stateræ suæ providentiæ appendit, ut quolibet in hoc seculo anno eveniant, quæ decrevit. Et quia videmus, hoc a condito mundo, quomodo quodlibet seculum suum peculiarem habuerit genium. in politicis & ecclesiasticis, non quidem in naturalibus secundum ordinarium naturæ cursum evenientibus: tamen quolibet seculo peculiaris quædam phænomena vel miracula, quæ antea non visa, contingunt. *Statera ponderavit seculum*, sic ut nihil fortuito quod non stateræ providentiæ respondeat, fiat. *Statera ponderat seculum* i. e. astrorum influxum & motum, *cujus mensura est tempus*, dirigit tanquam prudentiæ & sapientiæ suæ statera, ut undiquaq; harmonia superiorum & inferiorum eluceat. Dicit etiam Esras, *mensura mensuravit tempora*, quod de seculo dictum, idem dici debet de omni tempore, quod Deus mundo constituit, quando hoc mensuram attigit suam, etiam opificium mundi suo dissolvitur nexu, & numero numeravit tempora. Hoc experimur & docemur ex Scripturæ Codice, quomodo Deus tempus dividat in *æstatem* & *hiemen*

E

hiemen

hiemem, in sementem & messem, in diem & noctem, in equinoctia & solstitia in annos septenarios, & novenarios, in annos jubilaos. Ex hoc fonte fluunt anni climacterici, dies Critici apud Medicos, ex hoc fonte horæ: minuta, momenta, ex hoc fonte eclipses promanant. Sic Deus tempus ponderis, mensurae numerique fato, non secus ac omnes suas Creaturas subjecit. Agricoliarum, nautarum, piscatorum, venatorum, aucupumque Collegia pleno ore commemorant docentque quid quolibet mense agendum, quid quilibet mensis observandum præcipiat, quomodo pisces hoc vel illo mense luxurient, magis minusque valeant, feræ quando facilius difficiliusque capiantur, quomodo harum caro magis vel minus sapida sit, quomodo sua generationis coitusque tempora celebrent, quomodo novo tegumento, novisque pilis à DEO donentur, idem de avibus. Et bruta sua tempora sciunt cognitione quadam naturali & sensuali. Sicque grus, ciconia, norunt tempus suum. Habent & sic plantæ sua stata tempora progerminationis, efflorescentiæ, suosque proferendi fructus, suæque maturitatis &c. Sua tempora collectionis quæ si diligentius observarentur, multo melius arti medicæ, multo feliciter agris consulcretur. Habemus quidem generales colligendi plantas regulas, at istæ minime sufficiunt. Optandum esset, hoc in studio plures *Carrichterum* aliosque sequerentur in observando tempore colligendi plantas: sine superstitione circa hoc tempus possumus esse solliciti. Mihi narratum est à fide digno viro Med. D. Experimentis, quendam Pastorem scivisse tempus, quo observato si colligeret verbenam, illamque affricaret ligno, lignum hoc flammam concipere. Et probat experientia, quod interdum homines rerum medicarum ignari, felicissime curent desperatos & à Medicis prognostico relictos morbos simplicibus plantis, quas justo tempore colligunt. Scio hæc à quibusdam Magnis Medicis rideri, ast

ast illi simul irrident illud Salom. Eccl. III. 1. &c. in quibus Salomon rebus vilioris sortis colligendis vel & factis faciendis tempus suum destinatum esse docet. Quidni ergo observandum esset tempus in iis colligendis ac conquirendis, quæ humani generis conservatio, quæ morborum medicatio sanitatisque cura requirunt. Quomodo autem res naturales temporis genio respondeant, testantur observationes rerum naturalium, quas optimæ notæ Autores, commemorant.

§. 2. Et de temporis divisione non artificiali sed quam equi noctia Deus ipse instituit, pauca quædam dicamus, operæ duo. omninò pretium est. Occurrunt autem primò quatuor anni fatales cardines, sc. duo æquinoctia duoque solstitia. Nam cum sol fuerit in gradu arietis vel Libra, tunc æquinoctium est in universa terra, sic dictum quod æqueuntur dies noctibus & noctes diebus. Pari enim horarum numero mensurantur, h. e. horis duodecim. Contingit autem æquinoctium vernale nostris temporibus post anni correctionem 20. & 21. diem Martii: olim autem temporibus Julii Cas. circa 25. diem ejusd. mensis, & propter hanc æquinoctii anticipationem cum error 15. dierum evidentissimè appareret, placuit hisce nostris temporibus, Gregorio XIII. P. M. talem errorem emendare per subtractionem dierum decem, & ita æquinoctium, quod prius erat circa decimum & 11. diem Martii, in 21. diem referre, quemadm. tempore Concilii Niceni fuerat. Æquinoctium autumnale die 23. vel 24. Septembr. hæc duo æquinoctia, sc. vernale & autumn. semper aequali intervallo distans scil. per dies 187. minuta 26. ut e g. sit dies 20. Mart. meridie equin. vernale, dico equin. autumnale fore die 23. Sept. post meridie, minutis 26. Non ignorandum tamen, quod cum sol pertranseat totum signiferum diebus 365. horas 6. minuta 46. & scil. 24. ab æquinoctio vernali ad autumnale sint dies 187, quia velocius pertranseat unam medietatem Zodiaci, quam alteram diebus novem, cum ab æquinoctio autumnali ad vernale sint tantum dies 178. Hæcque

habet autor tractatus, qui inscribitur *catena temporis aurea* liber rarissimi commatis.

*Solstitia
duoquoque
anni cardini-
mei.*

§. 3. *At quomodum æquinoctia duas anni mutationes maximas efficiunt, Ver scilicet, & Autumnum: sic & solstitia alteras duas æstatem scilicet & hyemem, sic a stando dicta, eo quod Sol tunc stare videtur, ultra enim non progreditur, sed retrocedere incipit, & ideo loca in quibus fiunt hujusmodi mutationes, Tropici dicuntur, id est, conversi: Quoniam cum Sol ad eos devenerit circulos, vel ad nos revertitur, vel saltem motu suo proprio a nobis retrocedit, & alterum quidem in Cancro, alterum vero in capricorno, hoc quidem cum additione brumale nominant, unde aliqui brumam non distinguunt à solstitio hyemali, ut Columella, & Servus Grammaticus: Optimis tamen auctoribus hoc non placet, si quidem τροπὸς χειμερινὸς, brumam, & τροπὸς θερινὸς solstitium appellant, illud vero scilicet æstivale simpliciter solstitium vocant veteres, unde Virgilius I. Georg.*

*Humida Solstitia atque hyemes optate serenas
Agricola.*

Æstivale igitur Solstitium contingit inter 21. & 22. Junii, dum Sol primam partem occupat Cancri, & hyemale circa 21. & 22. Decembris, dum Sol primum Punctum Capricorni possidet, ab hoc dies elongari. & noctes breviari incipiunt, ab altero contrarium evenit. Producentur enim noctes, & accurtantur dies, quare dies Solstitii æstivalis est major dies apud nos, & nox brevior: E contra vero Solstitii hyemalis brevior dies est, & longior nox. Solstitium igitur est maxima inæqualitas dierum & noctium. Quæ autem signa sint, quæ Solstitia & æquinoctia faciunt, versus ii indicant.

Solstitia efficiunt duo Cancer cum Capricorno.

Sed noctes æquant Aries & libra diebus.

Sed ne lateret hominem Solstitiorum dies, certissimis quibusdam signis ea monstravit natura sagax ac pervida,

da, ut inquit Ruelius libr. de natura stirpium 2. c. 132. his verbis. Discrimen hoc indubitatis notis signavit natura. Quamobrem eas manibus ipsis agricolarum ingessit, vertique jussit ipsa die folia, & esse confecti Syderis Signum. nec sylvestrium tantum arborum remotarumque, ne in saltus devios montesque eundem esset quærentibus signa, non rursus proximarum urbanarumque, & quæ topiario usu coluntur, quamquam in iis illa visantur: Vertit oleæ ante pedes fata: vertit tilia ad mille usus petendæ. Adhuc parum est (inquit) ulmum vitæ dotatum habes, & hujus veterinorum pabulo versa folia stringis, stringens autem deputas. Aspice & tenebis sydius, aliâ parte cælum respiciunt, quamqua spectavere pridie. Salice omnia eligas humilima arborum ipse toto capite altior, & hujus folia circum aguntur. Quod te rusticum quereris, non stat per me, quo minus cælum intelligas, & scias cælestia. Dabo & avibus signum. Palumbiumque utique exaudi gemitus, transisse Solstitium cantu ne putes, nisi incubantem videris palumbem. Sed & alia dicentur Solstitiorum nomina. Nam & herbe quadam, aves & animalia pecualiter id indicant. Floret ipso brumali die suspensa intectis aridis herba pulegii. Aristotelem auditoqui lirinum, cæpe pulegium suspensa quoque Solstitio florere pronuntiet. Miretur hoc qui non invenerit ipso brumali die pulegium in carnariis florere, adeò nihil occultum esse voluit natura. Virio avis, prodit ipso Solstitii die.

S. 4. Quatuor Cardinibus Deum tempus inclusisse, supra monuimus. DEUS quidem Genes. VIII. v. ult. tempus dividit in æstatem & hiemem. Hanc divisionem temporis in duas partes subsecuta est divisio in 4. partes, in ver æstatem, autumnum, & hiemem. Ver incipit, cum sol ingreditur arietem, & durat, donec sol cursum suum absolverit per arietem taurum & geminos, hocque est tempus quo cuncta quasi reviviscunt, vivere & florescere incipiunt & ne nimis longi simus, sufficiat illud Vergilii Georg. II

Ver adeo frondi nemorum, Ver utile silvis

E 3

Vere

*Vere tument terra & genitalia semina poscunt
 Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
 Conjugis in gremium latè descendit, & omnes
 Magnus alit magno commixtus corpore fœtus
 Avia tunc resonant avibus virgulta canoris
 Et Venerem certis repetunt armenta diebus.*

*Ver item à Virgil. odoriferum & purpureum vocatur, à
 Statio pecorosum, jucundum, à Catullo floricomum, à Ruffo &
 Festo, ab Ausonio & Senecâ floriferum & fœtificum à Joh. Bapt.
 Mantuano, geniale quia hiemis rigorem mitigat, botros emit-
 tit, spoliatas arbores induit & terræ suam restituit vigorem, &
 hortis suas violas, flores, hinc utile silvis. Angelus Politianus
 rectè canit: Omnia luxuriant, & amica luce coruscant. LA-
 zarus Bonamicus sic depingit:*

*Cum variis tellus redimitur floribus, & cum
 Arboribus virides redeunt per brachia frondes,
 Atque avium dulces cantus nemora avia complent.*

*Veri succedit æstas, tunc sol ingreditur cancerum, & usque
 ad autumnale æquin: se extendit, quo finito autumnus
 ingruit, & hoc est tempus quo Sol tria illa signa libram,
 Scorpionem, & Sagittarium lustrat, incipit, dum Sol primum
 libræ punctum ingreditur, & terminatur in Solstitio hiemali,
 ultimò hiems quæ cum ingressu solis in Capric. signum in-
 cipit, & finitur in ultimo gradu piscium. Continet igitur
 hæc 3. signa Capric. Aquar. & pisces. Quam innumerabiles
 mutationes in Mundo hæc anni partes afferant quibusque ærum-
 nis affligant humanum genus, probat experientia & doce
 Hippocr. L. III. aphorismo 18. nnn. 19. 20. 21. 22. 23.
 quos docto Commentario illustravit Heurnius, alique ma-
 gni Medici, & Hippocrates quoque alibi. Et huc re-
 ferendæ sunt recentiorum Medicorum observationes.*

THE-

THESIS. X.

Totum universum unam universalemque plenitudinem magneticam habet, huiusque conservationis vinculum nexusque est Mechanismus.

Exegetis:

§. I.

Quod cali terraque systema contextu alicujus plenitudinis magnetica gaudeat, hac asseruimus thesi; Hac (1) una est, quoniam in universo non nisi una plenitudo, est in suos gradus subtilitatis divisa, ut mox dicemus. (2) Hæc plenitudo est universalis, ut sese per totum universum, omnesque universi partes, particulasque diffundat. (3) Magnetica est, sicut inter partes particulasque universi magnetismus animadvertitur, (4) Hujus plenitudinis vinculum & nexus est Mechanismus. Dicitur (1) una, unitatem habemus in universo, plura enim universa (plures quidem terraquei globi, mundoque terrestri analogæ corpora possunt salva analogia fidei statui) non possunt admitti. Hoc unum universum non nisi unicam admittit plenitudinem, qua hoc universum tam plenissime omnino impletum sit, ut nullum vacuum, nulla continui solutio possit contingere una in universo sit plenitudo (1) Exigit hoc universi indoles vel natura ut cujus nexus est, statu quo factum perennare & unum principium agens scilicet Deum agnoscit. (2) Et hoc postulat uniformis totius universi æconomia, quæ ne in obliquum declinet, vel rapiatur, una plenitudo sufficit, & obstat. (3) Si plures una essent plenitudines, totidem forent æconomie in mundo. (4) Ens quod plenitudinum efficit, est natura sua fluidissimum, & penetrantissimum tale

Plenitudo
mundi
magneticæ

tale unum sufficit. Hoc enim potens omnia explere, omniaque compingere, quæ vacuitatem moliuntur. (5) *Unum inane, & vacuum fuit Mosaicum, hocque Deus creatione rerum per sex dies ita complevit, ut nullum manserit vacuum, nihilque inane existat.* (6) *Illam una plenitudo originem suam sumpsit a Luce, hæc enim integrum triduum locum mundi condendi sufficientissimè explebat. Hæcque spatia superiora immensa inhabitat, ex quibus tanquam ex inexhausto fonte scaturit in inferiorum corporum habitacula, inque corporum abditos recessus medullitus ingreditur, penetraque ita ut ipsi nil sit invium.* Hæc (7) *immensa æquora & Laquearia cæli Deus die creationis quarto immense magnitudinis stellarum agminibus ornavit, stellasque illas omnes numeravit, suisque nominibus appellavit. Sicque illic Luce stellisque omnia spatia sunt plena & quoniam Deus suis nominibus insigniit, quæ nomina non sunt nuda vocabula, sed essentielles definitiones stellarum proprietates intrinsecas, quas qualibet stella in se habet tanquam cista thesauraria omnipotentiae Dei, quas Deus ei indidit, commemorantes ac aliis stellis suum influxum impartitur. Proin hæc appellatio est nomen officium, quo aliis stellis subsidio, & præsidio & ornamento est, significans. Thef. VII. §. 3. p. 26. b. disert.* Hocque est Elementum Cartesii primum lucem emittens, gaudetque materia fluidissima. (8) *Quando cæli dicuntur enarrare gloriam Dei, & hoc plenitudinem significat, vacuum non potest gloriam Dei decantare. Hæc fluidissima materia in fluidius influit, scilicet in ætherem, & aerem Elementum transmittens lucem, hanc materiam fluidissimam comitatur ignis, sicque pori, & alia interstitia complementum suum accipiunt. Elementum Lucem remittens, ut sunt aqua & terra, etiam influxum fluidissimæ, fluidiorisque materie patiuntur, ideo etiam vacuum ab iis Exulat, & quod non implent materia fluidissima, fluidiorque, hoc vapores, exhalationes, effluviaque, quorum perpetua emissio est, complent. Hujusque plenitudinis magnetica*

gnetica

gnetica statera, mensura, numerus numeransq; est Mechanismus. Quomodo autem in hisce omnibus magnetismus regnet, Loco hoc non ponemus, sed Lectorem remittimus ad Excell. Kircheri Tractatum de Magnetismo; & merentur hic lectionem, quæ de Mundi Magnetismo Eruditissimo calamo Germaniæ nostræ physicorum antistes Dn. Sturmus commentatus est.

THESIS XI.

Mechanismus Macrocosmi & Microcosmi est unus idemque Spiritus, & in utroque habet parallelas operationes; ita ut sit operationum Analogismus.

Exegetis.

§ I.

Mechanismum universalem per totum universum omnesq; universi partes esse diffusum, jam ante demonstravimus, ita ut modo unus Mechanismus à Deo sit creatus, qui omnes operationes in natura theatrô peragit, & tam in corporibus sub lunaris systematis parallelas, & cuilibet corpori congruas ad ejus generationem & conservationem facientes efficiat. Nam ut Mechanismus (I) omnes suas operationes per diversos gradus Spiritus Architectonici frigoris & caloris efficit, sicque modificet, ut ex unâ quadam materiâ Catholicâ scilicet aqua orientur Corpora animalium, Plantarum & Fossilium: Eodem modo Mechanismus Microcosmi ex conjunctione virilis & fœminini seminis in utero format infantem, ac infantis corpus ita modificat secundum omnia membra & artus prout forma animalis requirit, ideoque jubet ac in ipso corpore permanet Spiritus vitalis, motumque corporis cit, (II) Quemadmodum Mechanismus Macrocosmi ex eâdem materiâ, scilicet aqua corpora, dura duriora, durissima, ut sunt lapides & ligna elaborat, eodem modo Mechanismus in Animalibus ossa, Cartilagine, nervos, ungues, tendines ex chylô facit. (III) Quemadmodum Mechanismus Macrocosmi ex aquâ

Mechanismus Macrocosmi & microcosmi unus idemque.

F

diver-

diversorum saporum & odorum succos, & vina elicit: Eodem modo parique ritu *Mechanismus* in animalium corporibus ex uno Chylô partim per *assimilationem sanguinem*, per *extractionem* comitante quodam ardore ex dulcioribus particulis *bilem*, ex pinguioribus particulis *adipem vel pinguedinem*, per *transmutationem spumofam substantiam spermatis* Spiritu genitali turgidam, per *sequestrationem* à Chylo separat materiam inutilem ab utili, ut sunt cujuslibet generis *excrementa*, ex Chylo etiam *Mechanismus* efficit per *transmutationem Spiritus vitales*, quorum intrinsecum *Nectar & Balsamum est Spiritus Mechanicus*.

THESIS. XII.

Datur in natura Mechanismus concentrans & concentratus.

Exegetis.

§. 1.

Mechanismus concentrans, & concentratus.

In natura dantur aliquot corpora in quibus Mechanismi vires præ aliis corporum viribus sunt efficaciores. Præprimis ut ex multis duorum corporum nunc mentionem faciamus, in quibus vires Mechanismi sunt concentrantes & concentratae, sicque Mechanismus concentrans est in quodam corpore liquido & fluido, ut si jungatur corpori, in quo sunt vires Mechanismi concentratae, licet hoc ipsum mortuum videatur, tamen vires Mechanismi concentrantes hoc corpus vivificant, ita ut ex mutuo coitu vel copula vis vegetativa se ita exferat, ut beneficio ignis pulcherrimum aspectu arboretum in vitro gignat, ita etiam cinis cujuslibet plantæ vires concentrantes Mechanismi in se habet, ita ut per formam resuscitatricem plantæ simulachrum juxta figuram partium representetur, utrumque corpus concentrans & concentratum Mechanismi est objectum Chemiæ per viam siccam. Hoc objectum proprio nomine insignire qui poterit ex Germaniæ nostræ chemicis, magnus mihi erit Apollo, qui non Espagnet perfectus

etc

estè intelligit, non poterit proprio insignire nomine. Nihil jam amplius addimus, & nostram dissertationem, quam Deo Duce, & Luce conscripsimus, obsignamus. Qui plura, vel meliora desiderat eum remittimus ad Elegantissimam de Mechanismo corporum naturalium sub præsidio Excell. Dn. M. Daschitzkii ab Abrahamo Vatero Wittenbergæ anno 706. 24. April. habitam, in qua ortum, progressum Mechanismi ab antiquis ad nostram ætatem transmissum legere licet. Cujus Eruditissimæ disputationis præclarissimi Dn. Dn. Collectores Novorum literariorum Germaniæ more suo doctissime & accuratissime argumentum recensent. Tom. IV p. 226. 227. 228. Quorum Eruditissimorum virorum recensum Eruditus orbis magni estimat spissiusque exosculator, successu anuerum cornu copie polymathie in isto Labore frui licebit. DEUS horum annuat eaptis! Quædam etiam adhuc huic nostræ dissertationi addi potuissent, sed ne cancellos, vel limites præscriptos transileremus, Vela contrahimus, hicque pedem figimus! Quæ restant dicenda nostræ dissertationes de phœnicæ Natura & de catena Mundi aurea, & argentea D. V. adducent. Sit itaque.

SOLI DEO GLORIA.

*Sequentia Respondens certæ causa adductus
non potuit non addere.*

EX hac igitur dissertatione nullo negotio cognoscitur, universam naturæ Machinam Mechanismo, vel ut clarius dicam, pulcherrimo rerum a Deo conditarum ordine quam aptissime cohærere; & nisi Deus providentiam suam aliquando subtracturus sit, eodem, quo fuit adhuc, vigore, eademque connexionione perstare, quin etiam sempiterno ævo perennare posse. Cum autem genuina ars naturæ Mechanismum æmulari semper pro viribus conetur: pudeat

liberalium artium Magistros, qui prorsus Analogiæ expertes perturbato cuncta *ordine* proponunt, eoque pacto discentes inepte circumducunt. Et vero doctrinarum analogia si in ipso Doctore desideretur, si inquam catenata veritatum series ipsummet lateat, & rotundis quadrata mutet: universum sapientiæ ejus chaos vitiosa nuce vix emerim. Fieri enim non potest, quin talis *Mechanicaster* *εὐμήχανος* sibi demandata depravet ingenia, quibus loquentiam potius quam eloquentiam, splendidam potius quam solidam eruditionem conciliaturum esse, mihi quidem persuasissimum est. Operæ pretium facturus mihi videor, si partem oratiunculæ, qua Patronis Suidnitii Silesiorum vale ultimum dixi, super isto argumento huc transcribam; id quod a nonnullis viris, quorum nomina quoad superstes ero, venerabor, candide sum admonitus:

Ibi autem sic, Analogia, inquam, quid sit, inter eos, qui græcas literas vel primoribus labris degustarunt & extremis, ut ajunt, digitis attigerunt, facile constat. Princeps Romanæ eloquentiæ comparationem proportionemve dici posse dicit: Erasmus congruentiam rei ad aliquid relatæ analogiam esse definivit. Nos missis verborum ambagibus, mentem nostram breviter explicaturi, continuum rerum discendarum nexum & perpetuam totius coherentiæ esse interpretamur. Neque vero hic levis quædam adumbratio, aut generatim atque universè omnia complectens rerum cognitio sufficit; utpote quæ vel in pueros cadit: Sed ex intimis artium visceribus medullisque eruatur, necesse est. Evolvamus leviterque tangamus partes doctrinarum, & primo studium literarum, quod ii, quos Grammaticos vocant, profitentur, paulisper contueamur. In omnibus enim, quæ ratione doceri & ex ordine debent, prudenti Magistro primùm constituenda est Analogia, & statua velut Mercurialis, quæ vias optimarum artium monstrat, nec aberrare tyronem patitur.

Qnan

Quantum igitur, ut ad causæ veniamus caput, Analogia in fundamentis linguarum jaciendis valeat, quis est qui nesciat? Nam ibi voces primæ ab ortis, simplices à compositis accuratè distinguendæ sunt: ibi vis verborum propria ab impropriis eorundem potestatibus ex troporum libellis solerter est secernenda: ibi formam loquendi ad hanc regulam dirigere & verba construere quidem conceditur: sed finibus tamen his constitutis, ut à Romanorum, eorum maximè, qui ad seculum Augusteum pertinent, Scriptorum auctoritate ne latum quidem unguem si fieri potest, discedatur. Id enim nisi fiat, Analogiæ nimia est licentia, & sequitur, ut barbaries loquendi in orbem eruditum progressu temporis invehatur. Quod si vero cuiquam linguæ norma hæc suo se commendat usu: certe Græcam linguam in primis facilem & explicatam reddit. Ast cave, nimia Analogiæ fiducia decipiaris: id quod sibi obrepisse, Cicero ipse, quamvis Græca lingua doctissimus, alicubi ingenue fatetur &c. His tamen majores fructus ex ista conclusionum cum principiis comparatione, ad philosophandi studium progressus consequeris. Si autem hoc viatico destitutus in campum sapientiæ patentissimum prodire audeas: non potes labyrintho non implicari, ex quo non evadas, nisi ad Analogiam tanquam ad Ariadnes filum intento mentis oculo spectaveris. Planius dicam: nisi ex principiis tanquam ex fonte rivulos, sic alias sententias argumentationesque deduxeris; nisi omnia dogmata peræque sibi consent, & quadam velut harmonia suavissime conspirent, adeo ut nulla in parte claudicent aut male sonent: mens discendi cupida nunquam acquiescet, nedum ut omnibus numeris partibusque pro voto expleatur. Necessè est enim, ut integrum doctrinæ corpus ita colligetur, quemadmodum hominis partes homogeneas & heterogeneas (ut rerum naturalium speculatores vocant) aptissime inter se coagmentatas videmus. Necessè est, concatenatum ita sit,

quicquid sive ad intellectū in rebus contemplandis in rebus
 agendis perficiendum aliquid confert ut omnes catenæ an-
 nulos inter se cohærescere oportet. Necessè est, inquam,
 ut omnia præcepta institutaque Philosophiæ instar ædificiū
 singulari artificio constructi ita sibi respondeant, ut neque
 abesse quicquam neque superesse videatur. Eadem ratio in
 literarum diviniorem cultu & tractatione tenenda est. Ni-
 si enim Analogiam fidei, hoc est, perpetuam sibi que
 conformatam Scripturæ S. sententiam compertam cogni-
 tamq; habueris, ad quam velut obrustam, quicquid occurrit
 examines; res incredibile quantū laboris & difficultatis ha-
 bitura parū procedet, & te adversus sophistarū fraudes lentè
 munitum confirmatumque iri, haud inani conjectura præ-
 sagire possum. Ex his itaque facile intellectu est, falli & to-
 tā via errare, qui cursu studiorum ad hanc cynosuram non
 directo, summa imis miscere non verentur. Horum in-
 telligentia dubia incertaque est, quandoquidem animo
 semper fluctuant, & modò in has modò in illas partes tra-
 huntur, ipso cardine versatiliores. Et sanè de temporis
 jactura graviter aliquando conquerentur, cum omnes in-
 dustriæ fructus se perdidisse, serò nimis animadvertent. &c.

Πῆμα κακῶ γείτων, ὄνον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειδος He-
 siod. Ἔργ. v. 344

Πῆμα μέγα φθονέων Πρωτοκὰ θεδρος ἀνῆρ.

Τὸ δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς, ὁμοιογῆσι πάντες, κατ' ἀξίαν
 καὶ κατ' ἀναλογίαν γεωμετρικὴν δεῖν εἶναι. Aristot. Lib.
 V. Ethicorum c. 3. i. e. Justitiam, quæ in distribuendis
 salariis præmiisque posita est, secundum analogiam geo-
 metricam & ratione meritorum habita, esse oportere,
 omnes ad unum confitentur.

Christiani Symbolum semper esto:

FIAT JUSTITIA!

Decas Corollariorum.

I.

S*criptura Sacra* licet ex professo universam philosophiam non doceat, tamen universæ philosophiæ suos, quibus eam inclusit fines decrevit, ultra quos si progredimur, non sapimus, sed insanimus.

II.

Mens humana in corde residet, ex hoc tanquam suo palatio toti corpori imperat, motum non facit, sed prout intellectus jubet, voluntati adæquat motum.

III.

Metaphysica, prout eam quidam ex nostratibus Theologis conscripserunt absolute ad *Theologiam polemicam* necessaria est.

IV.

Intellectus, & *voluntas* differunt ut eques, & equus in *Gubernatione motuum*.

V.

Axioma hoc: nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, in quibusdam verum, in quibusdam fallit.

VI.

Quæ specie differunt, in omnibus non differunt Essentialiter.

VII. Si-

VII.

Simoniam mala, pessima si in Emphyteusia mutetur.

VIII.

Chemia per viam siccam numerum 97. 77. 67. ad unum subtrahendo multiplicat in infinitum.

IX.

Elapsi seculi exitus præter Eclecticam philosophorum sectam, peperit sectam novam mimicam, hæc cæco affectu quodlibet novum dogma arripit sternitque viam ad scepticismum.

X.

Philosophia mimica ex Spinosismo, Hobbsianismo, Lockianismo aliisque empiriæ oriunda, parturit Theologiam mimicam, & nisi DEUS hujus phreneticæ philosophiæ cursum sistat, ne olim pariat metus est.

Hæc nunc sufficient.

